

Utrum increatae voluntatis procedens amor libere sit spiritus sanctus proprie. Et videtur quod non, quia talis amor voluntatis increate potest incipere esse post non esse et desinere esse post esse. Igitur consequentia nota quia cum spiritus sanctus sit Deus non potest incipere esse nec desine- (29rb) re esse.

Sed antecedens apparetapparet, quia voluntas increata libere incipit diligere illum qui penitet quem ante quando erat in peccato non diligebat, sed odio habebat iuxta illud Psalmi *odisti omnes qui operantur iniquitatem*. Similiter si existens in gratia peccet mortaliter voluntas increata ipsum desinit diligere. Cum igitur dilectio et amor sunt idem, sequitur quod amor voluntatis increate potest incipere esse et desinere esse.

Ad oppositum est magister qui expresse dicit in principio istius distinctionis quod spiritus sanctus est amor sive caritas patris et filii. Sed, cum amor sit actus voluntatis, sequitur quod spiritus sanctus erit amor voluntatis patris et filii que est voluntas increata.

Pro solutione quaestionis pono conclusiones. Prima conclusio est quod create voluntatis amor a cognitione distinguitur realiter. Probatur tripliciter. Primo sic: quando aliqua duo sic se habent quod uno manente invariato, aliud variatur, immo desinit esse illa realiter distinguuntur. Sed amor sive dilectio create voluntatis et cognitio sunt huius<modi>, igitur. Maior patet ex terminis. Quia aliter idem realiter variaretur et non variaretur insimul maneret et desineret que implicat, sed minor apparetapparet stante uniformi cognitione circa aliquod.

Illud obiectum potest create voluntas amare et non amare et intensius amare et remissus, ut experientia docet, igitur.

Secundo sic: ad intensionem cognitionis contingit dilectionem remitti et ad remissionem cognitionis contingit dilectionem intendi, igitur consequentia nota, quia aliter idem insimul intenderetur et remitteretur essentialiter quod implicat, sed patet antecedens. Quia quanto magis quis cognoscit mundum contingit quod ipsum minus diligit et quanto minus cognoscitur contingit quod ipsum magis diligit, quia minus cognoscit eius vanitatem.

Tertio sic: illa non sunt idem realiter quorum unum est peccatum aliud non. Quorum unum est meritum aliud non, igitur. Antecedens de se patet, sed probatur consequentia. Quia scire malum non est malum, sed diligere malum est malum. Item cognoscere bonum non est virtuosum cum demones cognoscant summum bonum. Sed diligere bonum est bonum, igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod anima posset amare incognitum. Consequens falsum et contra beatum Augustinum 10 De trinitate quasi per totum librum, igitur. Probatur consequen- (29va) tia, quia cum amor et cognitio sint absoluta, si distincta essent realiter posset Deus unum facere sine alio et amorem sine cognitione.

Secundo sic: omnis volitio est realiter cognitio, igitur. Consequentia nota, quia omnis amor est quedam volitio, sed probatur antecedes, quia si volitio et cognitio distinguantur realiter aut distinguuntur solum numero aut specie non specie, quia omne quod distinguitur specie ab alio distinguitur per differentiam specificam et omne tale est compositum ex genere et differentia. Sed cognitio vel volitio non sunt sic composita cum sint forme simplices inherentes anime, igitur.

Nec distinguuntur solo numero, quia tunc duo accidentia solo numero differentia essent in eodem subiecto immediate, quod est contra Philosophum 3 Topicorum.

Cum igitur constet quod cognitio et volitio non distinguntur genere cum sint ambo de genere qualitatis, quia secundum utramque quales dicimur. Et non differant specie neque numero sequitur quod sunt idem realiter.

Tertio sic: cognitio est actus affirmativus voluntatis create, igitur consequentia nota, quia omnis actus voluntatis create affirmativus est volitio et omnis volitio est quidam amor rei volite. Cum igitur cognitio sit actus affirmativus sequitur quod sit amor. Sed antecedens patet, quia aliter voluntas esset ceca et nihil cognosceret per actum suum de obiecto, quod est contra Augustinum¹ dicentem nunquod dicturi sumus voluntatem quando recta est nescire quid agat quasi dicentem non.

Respondeo ad primum nego consequentiam. Ad probationem, dico quod concessio pro nunc quod omnem rem que non est alia sicut cognitio que est alia res ab amore nec pars alterius absoluta potest Deus ab alia separare non tamen sequitur quod separando cognitionem ab amore quod voluntas possit amare incognitum quia dico quod si separetur cognitio ab amore quod remaneret illa res que erat amor, sed amplius non esset amor. Sicut si Deus poneret actum cognitionis mee in lapide esset illamet res in lapide que erat in me sed non esset cognitio.

Vel aliter potest dici quod licet voluntas nostra de potentia Dei ordinata et secundum modum ipsi voluntati inditum non possit diligere incognitum, non tamen apparetapparet repugnantia quando Deus possit absolute facere oppositum.

Ad secundum nego antecedens ad probationem. Dico quod posito quod differant ipse vel solum numero non sequitur aliquod inconveniens, et quando dicitur quod non differunt specie quia tunc essent composita quod repu- (29vb) gnant forme simplici.

Dico quod cognitio et amor sunt forme simplices et universaliter omnes qualitates et hoc per exclusionem compositionis materie et forme, sed non per exclusionem compositionis generis et differentie, ut dictum fuit in solutione tertii argumenti contra primam conclusionem secunde quaestionis.

Et quando dicitur etiam quod non differunt solo numero, quia tunc duo accidentia solo numero differentia essent in eodem subiecto, dico quod hoc bene est impossibile de accidentibus realibus absolutis extra animam existentibus, sed non de accidentibus intentionalibus cuiusmodi sunt cognitio et amor.

Sed tamen non credo quod differant solo numero quinimo et specie. Sed contra, quia si differrent specie, aut hoc esset ratione obiecti aut ratione principii elicitivi, sed non ratione obiecti, quia circa idem oppositum specie immo numero est cognitio et amor, ut puta cognosco te, amo te.

Nec ratione principii elicitivi, quia ab eodem principio, scilicet ab anima vel a voluntate et intellectu que idem sunt realiter elicitur amor et cognitio.

Ad hoc dico cum Philosophus 2 De anima textu commenti 33 quod actus distinguntur per obiecta, non tamen sic quod diversi actus specie requirant diversa obiecta realiter specie differentia, sed bonum requirunt diversam rationem formalem oppositorum sic de eodem obiecto est cognitio et amor, sed cognitio habet illud pro obiecto sub ratione veri et amor sub ratione boni.

Ad tertium dico quod non sequitur quod voluntas sit ceca, scilicet illa res que est voluntas quia illa res que est voluntas per actum suum cognovit, licet non inquantum voluntas,

¹ Augustin] *lac.* .

quia eadem res est intellectus et voluntas nisi quod dicitur intellectus anima nostra quando intelligit et voluntas quando vult.

Secunda conclusio est quod create voluntatis amor a delectatione distinguitur realiter. Probatur tripliciter. Primo sic: amor et dilectio potest esse sine delectatione et intendi non intensa delectatione. Igitur consequentia nota, quia uia aliter de eodem simul verificarentur predicata contradictoria. Sed antecedens patet, quia demones et dampnati multum diligunt se, non tamen multum delectantur, immo sunt sine omni delectatione. Etiam secunda pars patet in martiribus, quia quando augebantur tormenta intendebatur eorum caritas et amor ad Deum, et tamen absorti a vehementi passione non intendebatur eorum delectatio.

Secundo sic amor et dilectio in casu naturaliter causat iustitiam et expellit delectationem et quanto magis intenditur (30ra) amor tanto magis intenditur tristitia et excluditur delectatio. Igitur distinguntur realiter consequentia de se nota, sed probatur antecedens.

Posito casu quod Socrates videt unum quem diligit aliquod magnum malum pati et alium quem non diligit simile malum pati, certum est quod dolet et tristatur de primo et non sic de secundo. Et quanto magis eum diligit, tanto magis tristatur, ut patuit in gloriosa virgine que videns filium quem summe diligebat sume dolebat in tantum quod eius animam petransiuit doloris gladius, Luce, 2, et quod amor in casu isto sit causa tristitie et expulsionis delectationis. Apparet, quia posito amore ponitur dolor et intenso amore intenditur dolor ceteris paribus. Similiter remisso amore remittitur dolor et remoto amore removetur dolor, ut docet experientia.

Tertio sic: amor est in potestate nostra igitur consequentia nota. Sed proba antecedens primo quod amor sit in potestate nostra. Apparet, quia amor est actus voluntatis secundum omnes et nihil est tantum in potestate nostra sicut ipsa voluntas, id est sicut actus voluntatis, ut dicit Augustinus 1 Retractationum, capitulo 9. Sed quod delectatio non sit in potestate nostra apparet, quia nunquam aliquis tristaretur si in potestate sua esset delectari. Patet 5 Metaphisice textu commenti 6, quia omne triste involuntarium est.

Ista conclusio patet per Philosophum 10 Ethicorum et Commentatorem commento 12, ubi dicit quod delectatio non est operatio sed advenit operationi ut finis quid, id est et perfectio sicut in iuvenibus pulchritudo.

Contra istam conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: si delectatio distinguatur realiter ab amore vel dilectione, sequitur quod quis possit esse beatus summe sine delectatione aliqua consequens est falsum, quia ipsa beatitudo est "status omnium bonorum aggregationis perfectus" ut ait Boetius. Delectatio autem est de numero bonorum. Sed consequentia nota,

quia Deus potest a beatitudine formali prescindere omne quod non est de essentia beatitudinis, sed secundum illam opinionem delectatio non est de essentia beatitudinis formalis, quia illa solum consistit in amore et dilectione ut dicebatur quaestione 3.

Si ergo ipsa delectatio non sit amor, cum constet quod non est cognitio, sequitur quod quis poterit esse beatus absque delectatione.

Secundo sic: illa que non sunt entia realia extra animam existentia non differunt realiter. Sed amor et delectatio non sunt entia realia extra animam, igitur. Maior patet, quia non (30rb) maioris entitatis est distinctio aliquorum quam sit eorum entitas, cum omnis distinctio sit ratione extremorum. Minor patet, quia tam amor quam delectatio subjective sunt in ipsa anima, igitur.

Tertio sic: dilectio non potest esse sine delectatione, igitur. pPatet consequentia, quia omnia duo absoluta realiter distincta ab invicem potest Deus separare. Antecedens patet per Augustinum De doctrina christiana dicentem cui enim adest quod diligitur delectationem secum gerit.

Respondeo. Ad primum nego consequentiam. Ad probationem, dico quod formaliter beatitudo solum consistit in duobus actibus, scilicet intellectus et voluntatis, ita quod nullus alius actus ex parte nostra ibidem requiritur. Delectatio autem non est actus, sed est quedam passio vel perfectio consequens actum, secundum Philosophum, 10 Ethicorum, capitulo 4.

Dico igitur quod beatitudo formaliter consistit in illis actibus cum omnibus requisitis ad illos vel consequenter se habentibus, et non sic precise in actibus.

Nam si Deus separaret illos duos actus ab omni re ab ipsis realiter differente iam in ipsis non esset beatitudo, quia tunc ipsi essent ab anima separati et sic per illos nullus esset beatus.

Dico igitur quod beatitudo consistit in illis duobus actibus ut includunt omnia requisita ad illos, vel consequenter se habentia. Delectatio autem naturaliter ipsos actus consequitur in casu illo.

Ad secundum dico quod aliqua dicuntur differre realiter dupliciter vel quia sunt res extra animam existentes facte absque operatione anime quantum una non est alia, et concedo totum argumentum quod isto modo non differunt realiter, vel quia sunt res non tamen extra animam existentes nec facte absque operatione anime quarum una res non est alia et isto modo differt realiter. Nam licet res dicatur secundum communiter loquentes solum ens quod est extra animam. Tamen etiam quodlibet ens existens in anima vel conceptus anime vel universaliter quodlibet ens aliquo modo potest dici res secundum modum loquendi Augustini 1 De doctrina christiana capitulo 1 dicentis “quod enim nulla res est omnino nihil est”.

Dico igitur isto modo communi accipiendo rem quod distinguntur realiter, quia una res non est alia.

Ad tertium nego antecedens. Ad probationem dico quod ex dicto Augustini magis concluditur oppositum, scilicet quod dilectio possit esse sine delectatione, quia ad dilectionem absentis rei non sequitur delectatio, sed solum ad presentiam rei dilecte sequitur delectatio nec valet consequentia ad presentiam illius quod diligitur sequitur delectatio. Igitur dilectio est delectatio.

Et si inveniatur ab aliquo doctore quod dilectio sit gaudium vel delectatio, dico quod tales propositiones non sunt vere per essentiam, sic scilicet quod una res sit alia, sed per concomitantiam, quia ad unam rem naturaliter sequitur alia etc.

Tertia conclusio est quod increate voluntatis amor procedens libere est spiritus sanctus proprie. Probatur tripliciter. Primo sic: spiritus sanctus procedit per modum amoris, igitur amor est sibi proprius, igitur proprie dicitur amor. Antecedens ponit Magister libro 1 distinctione² et consequentia nota, quia modus procedendi cuiuslibet divine persone sibi persone scilicet procedenti est proprius, cum per modum procedenti in divinis persone distinguantur.

Secundo sic: spiritus sanctus proprie dicitur dilectio, igitur et amor. Consequentia nota per Augustinum, 14 De civitate Dei capitulo 7, ubi probat quod dilectio et amor idem sunt per id quod habetur Iohannis ultimo, quoniam Christus dixit Petro *Simon Iohannis diligis me?* et Petrus respondit sibi *tu scis quia amo te*.

² distinctione] lac.

Ubi apparet quod non ponebat differentiam inter amorem et dilectionem aliter Petrus non respondisset ad propositum, et antecedens ponit Iohannes et in ista distinctio allegatur dicens quod spiritus sanctus est dilectio quam habet pater in filium et filius in patrem.

Item glosa Casiodori super illud Psalmum *misit de sumo* etc ait spiritus sanctus patris et filii dilectio est.

Tertio sic: sicut se habet in divinis verbum ad dicentem, sic et amor ad amantem. Sed verbum in divinis dicit personam proprietate verbi distinctam a dicente, igitur et amor in divinis dicit personam proprietate amoris distinctam ab amante, sed non dicit personam patris nec filii, igitur dicit personam spiritus sanctus, igitur spiritus sanctus amor proprie dicitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: spiritus sanctus non procedit a voluntate increata, igitur non est increate voluntatis amor procedens libere. Consequentia nota, quia oppositum consequentis infert oppositum antecedentis. Patet antecedens, quia cum nihil absolutum in divinis generet vel generetur, spiret vel spiretur, et voluntas ibi sit quoddam absolutum, sequitur quod voluntas nihil ibi producit.

Et confirmatur, quia nihil commune tribus personis et dictum essentialiter de qualibet persona aliquid producit nec producitur. Sed voluntas divina est huius<modi>, igitur. Maior patet, quia aliter idem distingueretur a se ipso, et minor apparet quia voluntas divina equaliter dicitur de una persona in divinis sicut de alia.

Secundo sic: omnis amor procedit ab amante in amatum igitur si spiritus sanctus proprie diceretur amor patris (30vb) et filii ut dicunt probationes conclusionis, sequitur quod spiritus sanctus procedat a patre in filium, quia pater amat filium et a filio in patrem, quia filius amat patrem. Sed istud ultimum est falsum, quia tunc pater haberet aliquid a filio et non a se, quia tunc queram de illo quod haberet pater a filio.

Aut est essentia, aut persona, et certum est quod utrumque falsum est.

Tertio sic: caritas habet ratione principii sive amor, igitur spiritus sanctus non dicitur proprie caritas sive amor. Antecedens patet, quia caritas sive amor est universalis motor et forma omnium virtutum, libro 2 distinctione 24, et consequentia nota, quia ratio principii proprie appropriatur patri, qui solus est principium, non de principio.

Et confirmatur per id quod dicitur ad Romanos ultimo: *gratia domini nostri Ihesu Christi et caritas Dei*. Ubi ait Glosa: id est Dei patris. Igitur caritas sive amor appropriatur patri.

Respondeo. Ad primum dico quod voluntas increata accipitur dupliciter sicut et sapientia, scilicet essentialiter et appropriate, hic autem in conclusione ipsam accipio appropriate, scilicet patri et filio et non essentialiter. Vel dicendum sicut dicebatur in fine quaestionis 10 quod essentia est potentia generativa filii, non essentia in se et absolute, sed essentia existens in supposito cum conditionibus convenientibus generationi, et sic non est communis tribus personis nec mere absoluta, sed includens suppositum respectivum. Sic dico hic quod voluntas est principium amoris vel spiritus sanctus non in se et absolute, sed ut in supposito cum conditionibus convenientibus spirationi quale non est suppositum spiritus sanctus. Isto modo voluntas non est communis tribus, personis nec dicit mere absolutum, sed etiam includit respectum. pPer idem dicitur ad confirmationem.

Ad secundum dico quod argumentum solum procedit de amore, qui est actus distinctus ab amante et amato essentialiter et non talis est amor patris et filii, vel quod verum est de amore qui procedit ab aliquo in alium tanquam subiectum in susceptivum illius amoris.

Non tamen de amore qui procedit in alium, non tanquam in subiectum sed tanquam in terminum et secundo modo spiritus sanctus dicitur amor, et non primo modo, et ex hoc non sequitur quod filius habeat spiritus sanctus a patre, nec pater a filio.

Ad tertium dico quod caritas increata sive amor accipitur dupliciter, scilicet essentialiter et appropriate. Si accipiat essentialiter, habet rationem principii ad extra et est communis tribus personis, quia omnia opera trinitatis ad extra sunt (31ra) indivisa.

Si accipiat appropriate, tunc secundum nostrum modum intelligendi accipitur dupliciter: vel active, vel passive, id est vel caritas activa et producens, et sic appropriatur patri et filio et de ista procedit argumentum, vel passiva sive produta, et sic appropriatur spiritui sancto, et de ista intelligit conclusio, scilicet quod spiritus sanctus proprie dicitur caritas sive amor productus.

Ad argumentum in oppositum dico quod talis amor in se nunquam desinit esse, nec incipit, sed solum connotatum illius amoris, quia res que ante illo amore non erat amata incipit esse amata, et postea desinit esse amata etc.